



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Cappellis Et Altaribus minoribus. Cap. XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

pijs itema mysteriorum passionis Christi Domini imaginibus exculptum, & inaurato artificio certis locis periti viri iudicio decoratum, religiosi & venerandi ornatus formam exhibeat.

Intrinsicus autem tabulis populeis circumamictum esse debet, vel alijs eiusmodi; ut ab humiditate, quæ ex metalli marmorive genere existit, sanctissima Eucharistia illo amictu omnino defendatur.

Vbi tabernaculum eiusmodi non fiat; tunc è tabulis, non nucceis, vel alijs, quæ humiditatem gignunt, sed populeis, aut similibus politè elaboratis, & religiosa- rum ut supra imaginum sculptura ornatis, iisdemq; inauratis extruatur.

Amplum pro dignitate, & magnitudine, ratione ecclesie, in cuius altari maiori collocandum est.

Forma vel octangula, vel sexangula, vel quadrata, vel rotunda, prout decentius & religiosius accommodata videbitur ad ecclesie formam.

In summo tabernaculi sit imago Christi gloriosè resurgentis, vel sacra vulnere exhibentis: vel si in altari exigue alius cuius ecclesie per tabernaculi occupationem congruus locus cruci (quæ alijs super eo collocaretur) esse non potest, ea pro alia sacra imagine in tabernaculi summitate vel perpetuò affigatur, vel processionum causa aliquando amovenda, decorè constituatur, affixa Christi crucifixi sacra effigie.

Benè præterea idem tabernaculum super altari basis ornata firmitudine suffultum, aut firmis altaris gradibus decorè confectis, aut angelorù statuis, alijsve suffulcimentis religiosum ornatum exhibentibus sustentatum, firmiter fixum hæreat; tum benè etiam clavi munitum sit.

A summo fronte altaris procul collocatum extet, non minus cubito vno & vnicuique sexdecim, ita ut corporale latè expandi, & pixis, cum aliquando vsu venit, commodè in altari poni possit: neque rursus à fronte sic distet, ut ad sacra Eucharistiam depromendam sacerdoti gradu etiam ligneo opus sit; nisi situs, & illius structure ratio aliud necessario postulet.

In insignioribus porro ecclesijs, vbi præsertim à tergo altaris chorus est, proque illarum structure ratione eius altaris latitudo ampla admodum est, remotius esse potest: quoniam ab illa chori parte posteriori commodè & decenter ipsa sacra Eucharistia è tabernaculo summi potest: tuncque ab eadem chori parte ostiolum alterum præscripta forma fiat.

Atque sub tabernaculo armariolum nullum sit; ac ne asseruandis quidem libris, supellectilive ecclesie locus sit.

Vbi in altari ita ut supra collocari, suffulcirive præ illius angustia tabernaculum totum non potest: à tergo suppositis basibus, aut alijs suffulcimentis benè firmis, illud aut totum, aut pars nitatur; ea tamen forma & ratione, ut neq; spatium inter altare & parietem interiectum (quòd exiguum est) impediatur, quominus altare circumiri possit.

Panno serico rubri coloris, si ambrosiani ritus ecclesia sit; aut albi, si Romani, intus ab omni parte vestitum atque ornatum sit.

Ostiolum habeat ab anteriori parte ita patens, ut paruulum alterum tabernaculum, quod intus in eo includitur, facile commodeq; introducatur, & expromatur: ita præterea ad aperiendum accommodatum, ut totum in frontispicio à latere planè hærens, sacerdotis inde sacra Eucharistiam depromentis brachium manumve non impediatur.

Sit verò ornatum sacra Christi Domini crucifixi, aut resurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis imagine, aut alia pia effigie.

DE CAPPELLIS ET Altaribus minoribus. Cap. XIV.

Hæc breuiter de altari, & cappella maiori, de quæ adiunctis dicta sunt restat separatim alia instructio de cappellis & altaribus minoribus, præter ea quæ suo loco demonstrata, maioribus & minoribus cappellis, altaribusve communiter conueniunt.

Primum igitur cum altaria plura edificari oportet, & ecclesia instar crucis

ex-

extructa abside constans duo quasi brachia habet; tunc à capite vnus & alterius brachij locus aptè conueniens erit, vbi altaria duo ædificentur; vnum à dextro, alterum à sinistro; si modò spatium sit pro modo latitudinis infra præfinitę. Is locus, si cappella cum altari ibi extruenda est, latè patere debet cubitos ad minimum nouem & vnciarū octo.

Si verò ad hemicycli formam parietis concauitas facienda est, cui altare inhæreat; eius loci latitudinē esse oportet cubitorum saltè sex & vnciarū sexdecim.

Quæcunque etiam Ecclesia, siue tribus nauibus, siue vna tantum constat, extra suę cappellæ maioris situm, ab vtriusq; lateris capite locum habeat, sicut supra mox præfinitimus, ita patentem, vbi in vno & altero item latere, pro modo formaq; præscripta, cappella, & altare de eorè apteq; exedificari possit, aut ad hemicycli saltè speciem parietis concauitas fieri queat, cum altare innixum hæreat; cum in eiusmodi Ecclesia, præter illas duas quæ à brachijs sunt, alix etiam cappellæ cum altaribus extruendę sunt, in vtriusque illius lateris capite exedificari poterunt; nisi illis quæ in capitibus brachiorum sunt, vicinæ nimium sint, contra ac præscriptum est.

Quarum cappellarum vnaqueque, siue in dextero, siue in sinistro latere ita extruatur, vt vbi plures naues sunt, in medio nauis sit, in cuius capite est.

Vbi verò ex vna solùm nauis Ecclesia cõstat, in medio parietis spatio struatur, quod inter cappellam maiorem & angulum Ecclesię interiectum est; ita tamen, vt hæc à maiori cappella saltè distet cubitis duobus: si modò ædificij ratio, pro oneris quod sustinet, grauitate, structuræ forma, spatium maius non postulet.

Si verò ad hemicycli formam in parietis concauitate altare collocandum est: id etiã in medio illo, vel nauis, vel spatij vt supra interiecti fieri debet: sic tamen, vt altari maiori non valde prope extruatur; quominus sacerdos in vno celebrans, ab alio qui sacrum in altero facit, impediri, perturbariue queat.

Id igitur omne, quod de cappellis, altaribusq; in vno & altero item latere

à capite Ecclesię extruendis mox præscriptum est; in Ecclesijs locum habere potest, vbi cappella maior extructa, & altare ibi situm ita existit, vt intus sit spatium cubitorum saltè quatuor.

Quibus verò in Ecclesijs præ situs angustia altare maius cappellam non habet; aut si habet vsq; adeo illa exigua est, vt altare in ea extructum foras in Ecclesiam versus promineat; indeq; altaria quæ à lateribus sunt, facillè prospiciantur: tunc ab ijs partibus, lateribusve, quæ ab illarum capite sunt, etiam si spatium pro ædificationis ratione supra præscriptum aptè ampleq; interiectum esset, altaria tamen fieri non debent; tum quia dum in vno altari sacerdos sacrum faceret, ob propinquitatem alterum sacerdotem in alio celebrantem impediret, aut inturbaret.

Vbi item altaribus compluribus opus est; illorū ædificationi locus tertius propterea aptus erit, nempe Ecclesię latus vtrumque; vnum scilicet quod ad meridiem, alterum quod ad septentrionem vergit.

Quo in vtroque latere cappellæ cum altaribus extrui poterunt, quæ ab Ecclesię corpore extent, forisq; promineant: sed in illis extruendis eæ infra præscriptæ rationes seruari debent.

Vt cappellæ æquè inter se distantes exedificentur; tamq; lato spatium inter vnã & alteram interiecto, vt ab vnus cuiusq; cappellæ vtroque latere fenestræ extrui possint, vnde lumen aptè aperteq; excipiantur.

Si verò ita inter se distantes extrui non possunt, coniunctæ tamen ita fiant, vt semicirculi, aut semioctanguli forma prominenti spatium inter se præbeant, vnde lux à lateribus recipiatur.

Vt in Ecclesia, quæ nauibus pluribus cõstat, è conspectu intercolumnij omnino rectè sint; nè ipsis columnis pilisve earū prospectus impediatur.

In ecclesia autem quæ vnã tantum nauim habeat, medium planè respiciant, quod inter vnum & alterum arcum tignumve est, quo tectum opere fornicato aut laqueato suffulcitur, sustineturve: aut si cappellæ latitudo superet latitudinem eiusmodi spatij, neque illud fieri queat;

queat; summitate arcus cappellæ ad perpendicularum tignum sustineatur.

Cappellæ minores omnes, vna eadēque latitudine, longitudine, & altitudine consent; ac demum omni ex parte, quoad eius fieri potest, sibi inuicē cōueniāt. Quæ verò tamē sunt in capite brachiorum Ecclesiæ Crucis formam exhibentis, eæ pro ratione situs, vt ceteris aliquantō ampliores, sic forma illustriori etiam esse poterunt; modò inter se illæ vna alteri omni alia ex parte rōdeant: Ne subter suggestum, vnde vel organo sonatur, vel Euāgelium Epistola ve pronunciatur, aut concio habetur, vnde vecanitur vlllo modo cappellæ minores altaria ve exædificentur.

Ne inter pilam structilem columnæ, aut arcum tignum ve, quo tectum suffulcitur, in ingressu Ecclesiæ primo loco situm, & parietem qui ab anteriore Ecclesiæ parte est, cappella vlla exstruatur; nisi illa tantum, quæ in Ecclesijs vbi animarum cura geritur, baptisterij collocandi causa nomine ve sine causa exædificanda est.

Altaria cappellæ ve à pariete qui in frōtispicio Ecclesiæ è regione. Altaris maioris est, nullo modo exædificentur; neq; item alio in loco, in quo sacerdos celebrans terga vertat cappellæ maiori.

Cappellæ minoris latitudo patens esse poterit cubitis nouem, aut vndecim, & amplius prout est; Ecclesiæ situs amplitudo: nec verò minor cubitis septem. Longitudo autem ab ingressu vsq; ad parietem cui altare adhæret, ducta, minor cubitis septem esse non debere videtur; vt & ministranti clerico spatij satis sit, & ne quidquam de Ecclesiæ parte aut naui cancellis occupetur. neque maior item: vt ne populus qui in Missæ sacro præfens ad est, cappellarum lateribus impediatur, quominus ab omni ferè Ecclesiæ parte sacerdotem celebrantem conspiciat.

Si verò tantum spatij cappellis minoribus dari non potest; fieri poterit etiam longitudo minor, quinque videlicet cubitorum & vnciarum octo.

Quæ ratio cum locum planè non habeat in illis cappellis, quæ in capite Ecclesiæ à latere cappellæ maioris sunt; ideo illæ

longitudine aliquantō maiores permitti poterunt quàm aliæ

Si præ situs angustia quibusdam in Ecclesijs, cappellæ quæ præfinito modo formaque foris omnino emineant, exstrui non queunt; exstrui poterunt saltem, vt maximè pro eiusdem situs ratione foris extare prominere possunt.

Sin aut loci situs is est, vt edificari non queant, quæ foris vt præscriptū est, emineant, atq; extant; ab Ecclesiæ vno & altero itē latere necessaria tantum altaria fieri poterunt, exstructis parietis cōcauitate hemicyclis, scaphis ve, pro situs lociq; ratione foras decore prominentibus. Si verò ne ad hemicycli quidem formā exstrui vlllo modo possunt; tunc altaria parieti herentia, ob causam necessariam tantum fieri poterunt; aut erectis columnis duabus, aut alijs fulcimentis decentibus intus ab Ecclesiæ pariete paululum extantibus, vno à dextero, altero à sinistro latere.

Quæ ambæ columnæ inter se à superiori parte opere fornicato vel eiusmodi cōiuncta sint; aut hemicyclis pictura saltē ad ornatus speciem decorē expressis.

Quæcunque denique altaria, ob causas supra expositas ijs in locis exstruentur, exstructæ ve; vbi præ situs angustia cappellæ magnitudine præfinita ædificari non possunt, ita vt cancellos clathræ ve à recto pariete extare forisq; prominere necesse sit; ea singula in arcum sic redigi poterunt, vt cubitum vnum & vncias sexdecim non excedant; nec verò super ijs gradus vllus adhibeatur, vt & illa, & cancelli, quàm minimā possunt, foris prominent.

Eorundem tamen altarium cancelli à scabello seu bradella cubiti vnus & vnciarum saltem octo spatio iuteriecto figantur, vt id spatij clerico in Missæ sacro ministranti omnino detur.

Denique si Ecclesiæ amplitudo latè patens id fert, angustior fieri poterit, exstructis ab vtroque latere cappellis longitudine, & altitudine, ac forma supra præscripta; cum præ amplitudine valde patenti, locus earum instructioni supra præfinitæ intus eiusmodi esse possit, vt Ecclesiæ altitudinis spatium inter illas interiectum congruenter etiam pateat.

Cap-

Cappellarum minorum pavementum al
eius quàm Ecclesie solum octo vncijs
strui debet, amplius verò aliquando vt
infra permitti poterit.

Vniuscuiusque cappellæ minoris limen,
vbi per facultates fieri potest, è marmo-
re, lapideve solido esse debet; ac sexde-
cim, & ad summum viginti vncias latè
pateat; tum eiusmodi sit, vt & ingressus
gradum faciat, & ipsum cappellæ solum
æquet: isq; vnus tantum gradus ad cap-
pellæ ascensum extruatur.

At præter illum liminis gradum, duos
alios inferiores, p loci si, vltve ratione,
& cappellæ amplitudine, vbi maior plu-
ribus gradibus extructa sit, fieri permis-
sum erit: isq; si minus è marmore, at sal-
tem è solido lapide, aut denum è lateri-
bus fiant.

Eorum latitudo eadem sit, que supra de-
monstrata est de liminis gradu: de alti-
tudine idem seruetur, quod dictum est
de gradibus cappellæ maioris.

Vnaqueque cappella, sicut de maiori di-
ctum est, fornicato opere extruatur.

Altaria in fronte mediâ vniuscuiusque
cappellæ construuntur, non à lateribus.
Ea singula minora à scabelli, quam bra-
dellam vocant, solo, superficieve, in alti-
tudinem erecta sint cubitis duobus, &
vncijs octo.

Longè pateant cubitis quatuor & dimi-
dio: nec verò min⁹ quatuor saltè cubitis.
Lata sint cubitis duobus.

Scabellum seu bradella altaris, tabulis
asseribusve ligneis cõficiatur; latitudine
que sit cubitorum duorũ, altitudine vn-
cizum octo.

Longius præterea quàm altare ita pateat,
vt vnumquodque eius latus excedat vn-
cijs sexdecim, neq; verò plus cubito, rur-
susq; ab vtroque latere illud cingat; si
modò præ angustia cappellæ, hæc latitu-
do lateralis non impediatur clericum mi-
nistrantem: tunc enim non excedat, sed
tantum adæquet altare.

COMMVNIA CAPPELLARVM
Altariumve maiorum & mino-
rum. Cap. XVIII.

De minoribus cappellis & Altari-
bus breui hac instructione explica-
ta, sequuntur communia cappellarum;

altariumve maiorũ & minorum, que in
extructione seruanda sunt.

Altaria non ex opere ligneo, sed ex lapide
dibus lateribusve extrui debebunt; atq;
ita vndiq; obstrui, vt fenestella forame-
ve nulla ex parte in ipsis relinquatur,
vbi quidquã asseruari recondive possit.

Nec verò ideo prohibentur altaria; que
quatuor pluribusve lapideis collumellis
aut pilastratis angularibus suffulciatur,
qualia in prouinciâ Mediolanensis vsu
cernuntur, quin etiam altaria quamuis
muro obstructa, eiusmodi pilastratis ab
angulis suffulciri congruum est; ne pare-
illa Chrismate iniuncta, si latericia sit,
facile decrustata collabatur.

Neque præ terea sub ijs quidquam omni-
no reponatur.

Altaria singula, que non tota cum sacer-
dote item celebrante opere fornicato,
sed tecto laqueato teguntur, aut fornice
ita altè extructa, vt ea fornix commo-
dè sæpiusq; purgari non queat, integu-
mento etiam, quod capocielo dicunt, o-
periantur.

Idq; vel ex marmore solido ve lapide,
aut etiam latericio opere erectis colu-
nis quatuor, si altare maius est; si minus,
lateraleve, duabus, aut alijs decentibus
fulcimentis intus ab Ecclesie pariete
paululum distantibus, vno à dextero, al-
tero à sinistro latere, que operimentũ
sustineant opere fornicato aliave ratio-
ne confectum, vel ex tabulis scetilibus,
aut è tela cærulea decenter depicta fieri
poterit.

Quod è ligno aut tela integumentum, ca-
thenis ferreis è tecto vel è pariete pedè-
tibus, aut alia firma structura sustineat.
Hic autem operimentum cuiusmodi sit,
vndiq; ita latè patere debet, vt altare
ipsum, & Sacerdos ibi Missæ sacrum fa-
ciens, omnino contegatur; quo diligen-
tius & ille & Altare, à puluer e omniq;
labenti sorde defendatur.

Sit verò hoc integumentum vsque adeo
Altari proximum, vt ab eo aliquantisper
pro decori ratione elatum, commo-
dè tamen & facile purgari queat.